

Magister adest, et vocat te.

7. — Notandum quod Martha sororem non advocavit, nisi postquam ex aeterna veritate ore audivit: *Resurrexit frater tuus.* In placentia sola esse voluit, non vero in gaudiis et lætitia. Lucas Brugensis ait: « Noluisti ire domum harum sororum, priusquam perfectisset Dei opus, propter quod venerat. » Hugo Cardinalis inquit: « Id est, presto est gratia et eruditio divina. *Hebr.*, xii, 7: *Tanquam filius offert se Deus; Apoc.*, iii, 20: *Ego sto ad ostium, et pulso.* Et vocat te beneficiis, flagellis, creaturis et aliis modis: *Ille ut audivit, surrexit cito,* declinando a malo, venit ad eum faciendi bonum. »

VERSUS 29.

Ille ut audivit, surgit cito, et venit ad eum.

1. — « Promptitudo Mariæ ad occurrendam describitur, » inquit S. Thomas, « quia non distulit propter lectum; non tardavit propter astantes; sed statim ut audivit, surrexit cito de domo, in qua erat, et venit ad Jesum. » Unde deducitur illum non passuram fuisse se a sorore præveniri, si Christi adventum citius et ante sororem agnovisset. Tametsi enim a prima et præcipua Jerosolymæ nobilitate, que ut tum ipsi, tum Marthæ condoleret in Bethaniam venerat, sollicita curialitatis et reverentis condolentia officia reciperet, attamen protinus ut sibi a sorore dictum fuit: *Magister adest et vocat te,* sine ulla civililitatis significatione, licet id urbanitati solite adversari sciret, ab illis recessit. Unde Basilus Seleucus, *Orat. n. de Laz.*, ait: « Præceptore presente humana omnia posthabuit; totaque in unum hoc incubuit, ut suos Magistro constaret honos. » S. Thomas de Villanova inquit: « Præ amore et desiderio Salvatoris presentes nobiles consolantes, velut pueros spernit, et rapido gressu obviam dilecto suo vadit. » Lucas Brugensis dicit: « Significat moræ impatientia, quod præ vehementi, quo Jesum prosequatur amore, simul et honore, statim surrexit et festinavit ad Jesum. » Idem vero Auctor postea ad inurbanitatem illam descendens, quæ circa nobilissimam illam heroum Jerosolymitanorum domum illarum in lectu visitantium coronam, illos tam incivilliter insalutatos nec monitos descendendo Maria commiserat, subjungit: « Nihil cur surgeret præfata ad eos, qui causa consolandi ipsam aderant, viros honoratos in sæculo, haud dubiam, obliata urbanitatis, obliata decoris, obliata lectus, fervens amor nihil nisi amatum curat. »

2. — S. Thomas ait: « Datur per hoc nobis exemplum non tardandi, eum vocemur ad Christum. » Salmeron ait: « Fidelis vocatus non debet

« moras nocere vocationis suæ, sed protinus ubi pulsaverit Deus cor eorum, surgere ac sequi. »

VERSUS 30.

Non dum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo, ubi occurreret ei Martha.

1. — Causam moræ in hoc loco S. Thomas his verbis adducit: « Ut non videatur seipsum ingerere miraculo, sed dum rogatus et inductus miraculum operatur, confiteantur ipsum mortuum esse et miraculum nullam calumniam patiatur. »

2. — Lucas Brugensis dicit, quod ex quo Salvator noster post longum illud iter et corporis defatigationem pro aliquantula membrorum suorum restauratione, priusquam miraculum illud operaretur, ad castellum Mariæ et Marthæ se non transiit, per hoc nos instruere voluerit, quod prius nobis et ante omnia alia præferendum sit opus et servitium Dei, postea vero necessitatibus corporalibus subservire debeamus: « Exemplum nobis propositum est, ut et ipsi cum primis ea, quæ ad regnum et gloriam pertinent, exequamur. »

3. — S. Thomas inquit: « Datur etiam per hoc intelligi, quod cum volumus Christo frui, eum venientem anticipemus, non expectantes quod ipse nobis descendendat, sed ut ipsi prius eum descendamus ad eum: *Præparate corda vestra Domine,* » inquit S. Propheta Samuel, *i Reg.*, vii, 3; et Psalmista pariter dicit, *Psal.* xciv, 2: *Præoccupemus faciem ejus in confessione.*

VERSUS 31.

Judæi ergo qui erant cum ea in domo et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

1. — Observat hoc loco Toletus Judæos illos in castello presentes adventum Christi juxta castellum ignorasse, multoque minus eosdem scivisse quod Christus illam per Martham ad se vocari fecerit: « Ideo repentinos ejus passus, et ita celeres, ut nec verbum ullum præsentibus dixerit, non alteri cause tribuebant, quam quod dolore tacta nimio, ad monumentum, ut ibi ploraret, profecta esset; » at vero graviter hac in re errabant, cum verissimum sit quod Lucas Brugensis his verbis scribit: « Atqui illa non monumentum, domum mortis petebat, sed vitæ ac resurrectionis fontem, qui et mox Lazarum, et tandem omnes mortuos et sepulchris excitaturus esset. »

2. — S. Cyrillus ideo Judæos Mariam protinus secutos esse existimat, quia timebant ne obnitiam doloris vehementiam in actum aliquem desperationis prorumperet: « Rati eam in monumen-

« tum esse proripuisse, ut se dilaniaret, sequuntur eam ad id notu divino impulsu, ut vel invitati ad videndum miraculum convenirent. »

3. — Hugo Cardinalis sensum moralem insinuat, dicens: « Ad monumentum debet anima vel conscientia ire et alios ducere, id est, ad memoriam peccatorum, vel mortis etiam corporalis, et lugere ibi pro peccatis et præsentibus miseris. »

VERSUS 32.

Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei: Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus.

Cecidit ad pedes ejus.

1. — Lyranus Magdalenam Marthæ præfert, eo quod hæc illam erga Christum obsequii actum non exhiberit: « Ex quo patet quod Maria magis amabat Jesum et reverebatur. » Unde S. Bonaventura hoc eam encomio commendavit: « Candidior autem hæc sorore sua, quia non ob turbam reverentia est, non ob suspensionem, quam habebant inimici de Christo, quod esset contrarius Deo, sed omnia projecit, tam ergo gestu, quia cecidit, quam affatu, quia sic dixit, Christi potestatem professam est. » Rupertus Albas Magdalenam eandem a sorore sua factam fidei professionem non solum prosectam esse, sed eam longe excellentius edidisse dicit: « Eandem quam latius verbis Marthæ adoravit quidem Christi Filii Dei, Maria citius adorando expressit; cecidit enim ad pedes ejus. »

2. — S. Chrysostomus, *Hom. lxxi in Joan.*, dicit: « Hoc enim curabat, ut Magistrum veneraretur; » quamvis enim nobilissima femina esset, multisque territoriorum statibus dominaretur, ideoque tanquam talis multa esset nobilitum virorum caterva stipata, qui Christum tanquam fabri lignarii filium et ab omnibus pro demoniaco, Samaritano et seductore habitum aspernabantur et vilipendebant, maxime cum lacera et pauperis veste indutus atque a meris egenis et vilibus piscatoribus comitatus ubique incederet, qui proinde in omnium synagoga principum odio constitutus, velut excommunicatus et synagoga proscriptus fuerat, nihilominus ipsa ad ejus se pedes prostravit, majorique ipsum submissione et reverentia honoravit, quam a vilissima et infirma plebeula affici potuisset. Unde Theophylactus ait: « Ad nullum hominem respiciebat præsentem Magistro, idque unum curabat, ut illi summum impenderet honorem. »

3. — Omnes sacri Expositores in ea admirabantur virtutem, quam in eo præcipue contestata fuit, quod tante mortificationis et humiliationis actus in tot procerum presentia erga pauperem Christum exercere non erubesceret. « Procidit ad pedes

« ejus, » inquit Chrysostomus, « vehementius quam soror amabat, neque turbam reverentia est, neque opinionem, quam de ea habebant. » Unde quod celestis Sponsus a dilecta sua Sponsa petit, nimirum: *Ostende mihi faciem tuam,* ipsa prompte præstitit, siquidem faciem suam in totius presentis turbe conspectu exhibere non erubuit.

4. — S. Thomas, in *Joan.*, dicit: « Nota in Maria securitatem, quia contra mandatum, quod nullus confiteretur Christum, non verecundabatur turbam, nec suspicionem Judæorum de Christo revertitur, eum aliqui inimicorum Christi interessent, ad Christum currit. » Dionysius Carthusianus ipsam hanc virtutem a Magistro suo didicisse scribit: « Veram a suo Magistro didicit humilitatem, nec verecundata est, se illi prosternere in conspectu adversariorum ejus; » qui proinde nonnullorum reprehendi humilitatem, qui in ea in subnali occasione non minime perseverant. « Quorum humilitas modica est, vel nulla, quoniam licet æquanimiter tolerant, quod increpentur secrete, tamen si coram multis humiliantur, vel arguantur, impatientia exagitantur. » Hæc porro Sancta a primo conversionis suæ instanti omnes humanos respectus pedibus substratos contempsit. Unde Didacus Stella de ipsa dicit: « Mundum sub pedibus constituit. »

5. — Toletus ait: « Agnoscebat pedes Maria quos unxerat, et lachrymis rigans suorum oblitus fuerat remissionem peccatorum. » Eandem quoque observationem Cajetanus hæc verbis insinuat: « Locum proprium Maria cognovit pedes Jesu, et ita agnovit, ut non jam jaceret se, sed caderet tanquam impotens se continere juxta pedes Jesu, a quibus veniam consecuta fuerat. » S. Bernardinus quoque Magdalenam pedibus Jesu semper affixam fuisse notat; dicit enim: « Quare ergo semper cadis ad pedes Jesu, o Maria? Quia ibi remittuntur peccata mea. *Luc.*, vii, 48. Quia ibi est locus mee consolationis, cum sto ad pedes Magistri, audiendo verba oris ejus, et quia ibi reperio meam propagationem, cum dixit: *Sinite eam,* cum infudi unguentum. *Marc.*, xiv, 6. Et quia ibi reperio meam defensionem, cum dixit: *Cur molesti estis huic mulieri?* Nunc etiam credo, ibi ad pedes ejus reperire Lazari resurrectionem. »

6. — S. Antonius de Padua quoque dicit eam ad pedes Salvatoris vivam quandam invenisse pietatis et misericordie divinæ scaturiginem, seu fontem: « Jam enim fontem venerat misericordie et istum fontem nunquam potuit oblitisci et omittere. »

7. — Jansenius notat quod tametsi Magdalenam valde fuerit afflicta et trisus ex eo quod celestis ejus Magister adeo tarde adveniret ad subveniendum fratri suo in tam urgenti necessitate, solita tamen illi exhibere obsequia, magnique, quo erga

eum ardebat, amoris signa edere non omiserit, ut per hoc nos doceret: « Nec tum quidem deficient dum esse, a solitis amoris indicis, cum præter nostrum desiderium nos ad tempus derelinquit. »

Et dicit ei: Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus.

8. — Rupertus Abbas, *lib. X in Joan.*, inquit: « Cecidit ad pedes ejus dolore fratris pariter et amore Christi sancti, breviterque locuta: *Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus*; lingua conticuit, cætera lachrymis uberius pergit. » Quibus Rupertus verbis Lucas Brugensis subjungit: « Nullam Ruperti orationem efficaciorē lachrymis. »

9. — Theophylactus magnam Christi Domini cum duabus hisce sororibus agendi differentiam observat; tametsi enim Magdalena se in eodem cum Martha sorore sua errore versari ostendisset, dum credebatur quod si Christus Lazaro infirmantem præsentialiter adfuisse, is minime fuisset mortuus, quasi difficiliter fuisset Christo absentem salutem aliquid impertiri quam presentem, illam tamen non sicut Martham hoc de errore vel minimo verbo monuit: « Attamen Christus ad hanc non dicit, quod ad sororem ejus, eo quod multa turba aderat; » Maria etenim tunc multos in sua societate Judæos habebat, ideoque illam de errore suo non reprehendit, ut nos doceret correctionem privatam, non vero publice faciendam esse, ut parcatur verecundiæ et confusio corrigendi vel correcti; similiter per hoc docere nos voluit defectus et ignorantiam proximorum nostrorum palam nequaquam manifestandam esse.

VERSUS 33.

Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit semetipsum, et dixit.

Jesus ergo ut vidit eam plorantem.

1. — S. Thomas de Villanova, *Serm. in hac feria*, acute notat, quod duæ hæ sorores pro Lazari sanitate Christo supplicarent, quamdiu vivebat, at vero ipso mortuo solum flevissent, nihil autem ab eo pro Lazaro petierint, indeque hanc moralitatem dodecitur: « Sic omnino Sancti apud Deum pro peccatore adhuc sensibus vivo, qui et reatum sentit, et a peccatis solvi toto animo concupiscit, orationibus intercedunt pro illo; at qui jam mortuus corde, in vitæ et in peccatis sepultus est, non precibus, sed lachrymis agunt, si forte respiciat Deus, et miseretur; » adducit illum textum I *Joan.*, v, 13: « *Est peccatum ad mortem*, non solum peccati, sed sensus et cordis, non pro illo dico, ut oret quis; quid igitur? Non oret, sed ploret; efficacior enim coram Deo est lachryma quam lingua, et plus fleatibus quam orationibus fleat. »

2. — Euthymius ait: « Solent qui humani sunt, alios videndo lachrymans, excitari ad misericordiam; » quando Ezechias in lachrymas resolutus fuit, ad primam lachrymæ stillam divinam placavit justitiam, IV *Reg.*, xx, 50: « *Audivi orationem tuam, et vidi lachrymas tuas; ecce sanavi te.* »

Infremuit spiritu, et turbavit semetipsum.

3. — Toletus Chrysostomi doctrinæ imitans, censet hunc fremitum idem importare, ac si Evangelista dixisset, vehementem compassionem suam repressit: « Fremitum essehibitionem quamdam, qua effectum commiserationis repressit, ne vocem lachrymantium effunderet. » Salmeron S. Basilium citat, quem in ea opinione fuisse dicit, quod Christus Lazari mortem non subito deleverit, quem paulo post resuscitare intendebat, ut hoc suo exemplo nobis in similibus casibus antiret: « Ubi in his et similibus merendi et legendi rationibus moderate agamus, et vitiosos devotus excessus. »

4. — S. Thomas notat quod hic uno eodemque tempore evidentiâ in Christo Salvatore nostro signa emicuerint infirmitatis humanæ, quam assumpsit, et naturæ divinæ, quæ ab eo inseparabilis fuit. « Ubique fere in factis suis mixta leguntur humana divinæ et divina humanis; et si quandoque ponitur aliquod humanum de Christo, statim additur aliquid divinum. » Majus infirmitatis signum de Christo non legitur, quam amara ejus passio, et mors eandem subsecuta, et tamen in ea miris legimus editas fuisse divinitatis ejusdem demonstrationes, in obscuratione solis, in diruptione petrarum, in cadaverum extinctorum resuscitatione, et apertura monumentorum. In tanta præsepi ipsius paupertate, insolita quædam in celo stella scintillare cepit, applaudentes et festivissime canentes et celo descenderunt Angeli, Reges ei facti sunt tributarii; et ideo ut Angelicus Doctor scribit, hic quoque dum « Christus secundum humanitatis affectum aliquod infirmum patitur, » eodem protinus tempore insigne illud operatur miraculum, quod ipsum absolute et independentis Majestatis et Omnipotentie Deum esse manifeste deprecatur.

5. — Porro compassio et turbatio, hæc quodam in Christo passio fuit. Unde S. Bernardus, *Serm. II de S. Andrea*, ait: « Christus se turbavit, non conditionis necessitate, sed sua beneplacito voluntatis. » Lucas Brugensis pariter ait: « Passiones istæ cum non corripuerunt invitum, ante considerantem, sed sponte ipse eas assumpsit, et ratio imperavit, ut appetitus sensibilis eas paterelet; ac proinde S. Augustinus, *tract. xxxix in Joan.*, scribit: « Quis enim eum posset, nisi se ipse turbare? » turbatus est, quia voluit; conrivit, sed quia voluit; contristatus, sed quia voluit; mortuus, sed quia voluit? In illius potestate erat sic vel sic

afflicti, vel non afflicti. » S. Thomas super hæc verba tres considerationes insinuat, dum ait: « Primo attende pietatem; secundo discretionem; tertio potestatem. Pietatem ex causa, quæ est justa, tunc enim juste turbatur, si ex aliorum tristitia et malo turbetur; » ac proinde Evangelista eum hinc turbatum esse dicit, quando Magdalenam plorantem conspexit; unde et Apostolus *ad Rom.*, xii, 15, monet: « *Fleat cum fleatibus.* » Discretionem, quia secundum judicium rationis turbatur; unde dicitur: *Infremuit spiritu*, quasi judicium rationis servans. Potestatem, quia suo imperio turbavit semetipsum. »

6. — S. Thomas de Villanova, *Serm. in hac feria*, ait: « Sed quod infremuit, aliorum indiget sensu; magnum profecto aliquid in pectore Christi latebat, unde fremitus ille prodit, sed quod illud sit, quis agnovit? Forte duritiam et pertinaciam Judæorum exhorruit, quæ eum mortuos fœdissimè suscitare compellebat; ut tanto miraculo convertantur. » Tametsi nec hoc ad id prævalere potuerit, siquidem inde magis exasperati illud congregantur conciliabulum, in quo sententiæ trutinam pervertent, ad mortem eum condemnando. Toletus ait: « Indignabatur contra infidelitatem Judæorum, propter quam Lazarus mortuus, et sororibus his sanctis afflictionis causa data erat. » Porro mors illa ab incarnata et increata Sapientia eum præcipue in finem ordinata erat, ut se tanquam verum promissum Messiam toti mundo, et præcipue Hebraismo manifestaret: « Quæ manifestatio necessaria non erat, si Judæi jam signis et miraculis conversi fuissent, nec Lazarus mortuus esset, si illi jam credidissent. »

7. — Jansenius dictionem illam, *infremuit*, expendens, illam indignationis expressivam esse asserit: « Rectius intelligitur Dominum hoc suo fremitu et turbatione commotum fuisse contra mortem, quæ presentis tristitiæ causa fuit, et contra eum, qui mortis habet imperium. » Salmeron quoque fremitum hunc non doloris, sed indignationis indicium fuisse, expresse asserit: « Nec tamen infremuit Dominus, » inquit, « ad doloris justificationem, sed ad indignationem quamdam, qua commotus est contra mortem, quæ presentis tristitiæ causa fuit. » Lyranus ante præcitatos ambos Doctores idipsum scripsit: « Ille Christi fremitus, » inquit, « procedebat ex indignatione ejus contra diabolum, per cuius suggestionem mors intravit in mundum, quem erat cito debellaturus. »

8. — Chrysologus, *Serm. lxxv*, turbationem hanc indignationi attribuit, quia Christus percelleretur ex eo, quod tardaretur tempus illud, in quo omnes defunctos resuscitaturus erat. « *Infremuit spiritu*, et tota se viscerum commotione conturbat, quia solum Lazarum, et non jam omnes mortuos suscitabat. »

9. — S. Augustinus, *tract. xlix in Joan.*, ad sensum moralem recurrens dicit: « Quid est ergo, quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati gravaris et premeris? » S. Thomas de Villanova observat, quod Christus, priusquam Lazarum resuscitaret, turbetur et ploret, et in semetipso fremat: « Quæ omnia in peccatoris contritione invenire oportet; turbetur ergo semetipsum peccator, nam expectet, ut turbetur a Deo; nam contritio dolor est voluntarie pro peccato assumptus, non flagello extortus; modicus dolor spontaneus gravior est gravissimo dolore coacto; sed vis est dolor, sequatur lachrymæ. » Quod si mater aliqua ob filium amissum, quem in vitam revocare nequit, inconsolabiliter plorat, inquit idem S. Archiepiscopus: « Quibus tu fleatibus animæ tuæ æternam mortem deplorare debebis, cum possis eam lachrymis suscitare? » Albertus Magnus observat, quod prius dicatur: *Infremuit et turbavit*, postea vero subnectatur: *Lachrymosus est*, ac denique tertio loco, quod *infremuit*, non vero dicatur, quod denique *turbatus fuerit*, quorum omnium hæc reddat rationem: « Primo enim docet fremitum ad cordis compunctionem et turbationem. *Joel.*, ii, 12: « *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu et planctu, et scindite corda vestra; ecce turbatio compunctionis.* Secundo lachrymarum ad delicti expiationem et absolutionem. Tertio fremitus aut indignationem reliquiorum peccati. » S. Bonaventura ejusdem est cum S. Augustino sententiæ: dicit enim: « Iste fremitus Salvatoris significat fremitum indignationis, quod debet homo indignari contra peccata sua, et in se conturbari et amaritari, et sic venire ad monumentum, quod est locus in quo sepeliuntur mortui, id est, ad præconitionem et rememorationem peccatorum suorū. »

10. — S. Augustinus ait: « Fremat Christus, inerepet se homo; fleat Christus, fleat se homo; quare enim fleat Christus, nisi quia hominem docuit? quare fremitus, et turbavit seipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis, fere mere quodammodo debet in accusatione multorum operum, ut violentiæ ponitendi cedat consuetudo peccandi? »

11. — Eusebius Gallicanus in homilia quadam super hæc verba, Christum nos compassionem docere voluisse existimat, quæ extimulandi sumus, ut ob spirituale proximum nostrorum mortem affligeremur, et amare pleremus: « *Infremuit*, id est, ingemuit, ut doceret nos super peccantes generare. »

12. — Hugo Cardinalis hæc turbationem et fremitum compassionis Christi erga peccatores indicium fuisse dicit: « In hoc ostenditur compassio Domini erga peccatores. *Jerem.*, xxxi, 20: *Ad-*

« huc recordabor ejus, idecirco turbati sunt viscera mea. »

13. — Idipsum quoque in peccatore moralizando scribit : « Dominus dicitur fremere, turbari, et lachrymari in peccatore, quando facit eum tremere præ horrore peccati, turbari pro damno, et lachrymari pro macula, vel offensa Dei. »

VERSUS 34.

Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni et vide.

1. — Quod si Christus is erat, de quo, *Job*, xxxix, 29, scribitur : *Oculi ejus de longe prospiciunt; alia a longe cognoscit*, qua ratione nunc, ubinam Lazarum sepeliverint, interrogat? Salmeron ait : « Non in-terrogat, quasi nesciret, ubi conditus esset, qui postius longe a Bethania noverat ejus mortem, sed ut malignam Judaeorum suspicionem vitaret, ne quid hac de re fraudulenter et compositè agere videretur? » Toletus S. Athanasium citat dicentem, *Orat. ad Maximam Philosophum*, de divinitate Christi : « Perconatur humanitas, ubi Lazarus situs sit, sed tamen excitat eum prorsus divinitas; » demum vero subjungit : « In gestis suis modo se Deum, modo se hominem Christum significare voluit, ut utramque vere habere naturam comprobetur. » S. Hieronymus hac occasione hanc humanitatis simul cum divinitate unione expendens, ita scribit : « Et hic turbatus Judæis deitatem celat in homine, et splendori divinitatis in tante operationis corruptione ignorantiam mortalitatis obducit, ut cum possit in suscitando Lazaro Deus adorari, homo in sepulchri ejus ignorantia vitescat. »

2. — « Sed quid rogas, » querit Chrysostomus, « non vult festinare, sed omnia ab eis discernere, et hortatus facere, ut omni suspitione careret miraculum; » at vero S. Augustinus ait : « Scisti quia mortuus sit, et ubi sit sepultus, ignoras? »

3. — S. Thomas hoc loco duo tangit mysteria, quorum primum est, quod qui querit et interrogat, ut sciat, se illius, cujus querit notitiam, scientiam non habere demonstrat : « Per Lazarum in monumento signatur mortui in peccatis; ostendit ergo Dominus se ignorare locum Lazari, dans per hoc intelligere, quod quasi nesciat peccatores, » Idem quoque S. Augustinus scribens ait : « Et ista significatio est, quia sic perditum hominem quasi nesciat Deus, non ansus sum dicere nescit; quid enim ille nescit? sed quasi nescit. » Unde hoc probamus? Dominum audi dicturum in judicio : *Non novi eos.* » Aliud a S. Thoma insinuatum mysterium est : « Quia quod aliqui peccato resurgunt ad statum justitiæ divinæ, est ex profundo prædestinationis divinæ, quod quidem profundum homines ignorant. » *Rom.*, xi, 34 :

Quis cognovit sensum Domini? aut quis consilioribus ejus fuit?

4. — Hugo Cardinalis quoque ad miserabilem peccatoris statum alludens ait : « *Ubi posuistis eum?* » id est, in quo vili loco, quasi diceret : Considera in quantis flagitiis posuisti cor tuum? ubi, quasi diceret : Ego quero eum, et ideo die mihi. Dum minus enim querit nos quasi orem perditum. » *Psal.* cxviii, 176 : *Quære servum tuum.* »

Dicunt ei : Domine, veni et vide.

5. — Hugo Cardinalis Christum ideo ad sepulchrum perductum fuisse notat, ut calumniari non possent, quasi non Lazarum, sed alium quempiam suscitasset : « Vox enim, et manus, et auditus, et visus, simul et odoratus, testantur miraculo; vox quidem dicens : *Veni et vide*; manus autem tolentes lapidem, et fascias solventes, auditus, qui vocem audivit : *Lazare, veni foras*; visus, qui vidit exeuntem de monumento; odoratus, qui sensit fetorem quadriduani. »

6. — S. Augustinus ait : « Quid est vide? miserere; videt enim Dominus, quando miseretur, » unde illi dicitur : *Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea.* » *Psal.* xxiv, 18.

7. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac feria*, ad animam extra Dei gratiam constitutam esse reflectit dicens : « Leva in directum oculos tuos, et vide, ubi nunc prostrata sit anima tua; quod si non potes, saltem dic : *Domine, veni et vide*; veni per gratiam, hoc est, videre me fac, scilicet ut recognoscam. »

VERSUS 35.

Et lachrymatum est Jesus.

1. — S. Bonaventura ait : « Ostendens prius naturam humanam, et postea monstraturus divinitatem in miraculo. » S. Cyrillus, *lib. VII et VIII in Joan.*, planetum hunc moderatum fuisse advertit : « Tantisper quidem lachrymatum, deinde modo comprimit lachrymas, ne videatur durus quidam et immisericos, sine ullo sensu alieni doloris. » Chrysostomus super hæc verba dicit : « Minime a lugere, sed impudenter lugere veto; non sum immanis atque crudelis, non licet nullo affectu moveri, quod et Christus ostendit. » Idem quoque considerat, quod S. Joannes, quot vicibus Saluator flevit, turbatus et contristatus fuerit, diligenter annotavit : « Ut intelligas vere naturam nostram induisse, » hæc enim naturaliter secum subinfert affectum compassionis : « Nullus reprehendat moderatas lachrymas funeris, quas Jesus propriis lachrymis approbavit. » Lucas Bruggensis sorores, omnesque alios circumstantes, qui in magno numero erant, plorantes expeditis, conveniens esse

consequit, ut et Christus illorum luctum et plañctum fecundaret : « Presentialium sororum, comitumque lachrymis sic commoveri voluit, ut eis et intus condoleret, et foris collachrymaret; incongruum judicans amicis languentibus et flentibus et vultu plane rigido adstare. » S. Cyrillus tamen notat, quod Saluator nobis moderationem quandam prescripserit : « Erudienti ac docenti, ne plus justo solvatur in luctum ob mortuos, illud enim redollet humanitatem, hoc plane ignavam et muliebrem. » Et quia Apostolus nos paulo post moniturus erat : *Flere cum flentibus*. Ideo S. Ambrosius, *lib. IV in Luc.*, dicit : « Christus omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, esuriens cum esurientibus; in carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitiit. » Ipse etenim erat, de quo testificaturus erat idem Apostolus, *II Cor.*, i, 3, dicendo, quod sit *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Magnæ quoque consolationis argumentum est afflictis, dum charissimos amicos contristatos esse vident in suis miseriis. « Flebat Dominus, » inquit S. Zeno, « non quod ante se mortuum perissee cognosceret, sed quod sororum flatus temperaret. »

2. — Toletus S. Iliarii auctoritate suffultus, Christum plorasse censet propter duritiam et obstinationem, quam in eis futuram esse prævidebat, utpote qui nequidem viso hoc tam prodigioso miraculo, clarissimo divinitatis ipsius testimonio passuri erant se convinci.

3. — Chrysologus causam inquiri planetus Christi; dicit enim : « Quare flebat? Certe ipse qui dixerat : *Lazarus mortuus est, et gaudeo*; de quo gaudet mortuo, ipsum cum resuscitat, tunc lamentatur; qui cum amittit, non flet, cum recipit, tunc deplorat, tunc fundit mortales lachrymas, vitæ spiritu cum refundit. » Tandem vero dubium hoc solvit ostendendo, quod etiam vehemens et immoderatus lætitiæ affectus lachrymas excitare possit : « Habet, » inquit, « hoc natura corporis humani, ut prodacat lachrymas vis gaudii, vis meroris; quoties enim viscera aut lætitiæ, aut tristitiæ nimio arcantur impulsu, oculi in lachrymas maxime erumpunt; hinc est, quod Christus non dolore mortis, sed illius lætitiæ recordatione lachrymavit, qui voce sua, voce una omnes et mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam. »

4. — S. Zeno existimat Filium Dei per hæc lachrymas denotare voluisse, quam sit efficax apud æternum Patrem suum flatus ipsius, ita enim dicitur S. Pater scribit : « Quia ipse sororum flentibus movetur, lachrymis Filii sui Salvatoris nostri inter ipsos celos Pater flectebatur. »

5. — Non desunt quoque sacri Expositores, qui ipsum ideo lachrymatum fuisse crediderunt, quia

videlicet se adstrictum ad revocandum in hanc miseriarum et lachrymarum vallem Lazarum prædilectum amicum suum, qui jam de facto parce et requie fruebatur alterius vite, Dionysius Carthusianus per citatum S. Hieronymi testimonium dicit : « Verumtamen secundum Hieronymum flevit Jesus Lazarum, non quia mortuus fuit, sed quia ad hujus vite ærumnas, quæ sine peccatis non agitur, fuerat revocandus; frequenter legitur Christus planxisse, nunquam vero risisse, in quo levitas nostra et dissolutio commendatur. » Cui consonat Rupertus Abbas, dum ait : « Fortassis non tam pro eo quod mortuus erat, quam pro eo, quod propter adificandam viventium fidem revocari illum oportebat, ad tolerandas rursus hujus vite miserrimas. »

6. — Quadriduanum Lazari cadaver, peccatorem præfigurabat in peccatis habitatum; ut autem talis a male consuetudinis morte, denno revocetur ad vitam gratiæ, Dei ejusdem flatus opus est; imo nec hic sine sanguine et sine vitæ profusione sufficeret. S. Ambrosius ait : « Ibi flevit, ut prius lachrymis sui mortui delicta lavaret. » S. Bernardus de Christi infantis lachrymis et flatu ita scribit : « Lachrymæ Christi mihi et pudorem pariunt et dolorem; compatitur Filius Dei et plorat, homo patitur et ridebit? » Peccator de facto ingressus est sepulchrum, imo suos quoque pedes collocavit in infernum et Christus ipsam in culpa sua obstinationem esse videns, eundem ad gradum denno suscitare satagit, et ipse jocular et ridet? *Prov.*, ii, 4 : *Gloriantur cum male fecerint, exultant in rebus pessimis.*

7. — Chrysostomus Christum nos in hac historia modum ducere voluisse dicit, quo nobis egrediendum est de peccato : « Ubi datur intelligi forma excedendi a peccato; turbatum in confessione, fremit in contritione, plorat in satisfactione. Flevit autem, » secundum Augustinum, « super vulnera tua ut tibi periculum et gravedinem languoris ostendat et ad flatum propriæ iniquitatis te adducat. Flevit, ut scias quantum tibi boni flatus operantur; dolent tibi peccata tua, hic optimus flatus. » Demum vero reprehendit illos, qui in aliorum morte immoderate plorant; vis mortuum honorare? « Alia via aggrediendum est; quæ illis ex multis flentibus utilitas? »

VERSUS 36.

Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum?

1. — Erant hæc verba illorum, qui affectus mirabantur vehementiam, quam Christus in Lazari morte delenda ostenderat, inquit Toletus, qui idem mox querit : Quid est, quod ipsius flatum mirabantur, quando omnes flebant, quotquot aderant? « Admiratio procedebat ex maxima opinione, quam

« de Christo conceperant, eis enim videbatur tanto « homine indignum flere, nisi gravissima ex causa, « ideo amoris magnitudini tribuerunt. »

2. — Ipsi quidem letum hunc solum amoris « indicium fuisse credebant, inquit Jansenius : « Sed « non intelligentes etiam ob alias causas dispensa- « torie mortem lachrymari. *Ecce quomodo amabat* « eum, ut qui cum sit vir constantissimus, ejus « mortem deplorat, cum quo nulla fuit consangui- « nitate conjunctus. » S. Thomas, in *Joan.*, ait : « Nam amor maxime in tristitia hominum mani- « festatur. »

3. — S. Augustinus ait : « Quid est, *amabat* « eum? *Non venit vocare justos, sed peccatores ad* « *penitentiam.* » S. Thomas ad sensum quoque mo- « ralem descendens, ait : « Mystice per hoc datur « intelligi, quod Deus homines etiam in peccatis « amat, nisi enim eos utique amasset, non diceret : « *Non veni vocare justos, sed peccatores ad peniten-* « *tiam.* »

4. — Lyranus consequentiam considerat, quam « multi Judaeorum ex hac Christi tristitia et fletu « deducebant, in nimirum, qui Lazari mortem Christo « displicere existimabant, utpote quae praeter ejus « voluntatem accidisset, de illis namque rebus con- « tristari solemus, quae contra voluntatem et votum « nostrum accidunt; ac proinde hi pariter inde Christum « ipsum a morte nequaquam preservare potuisse « concludunt : « Et hoc est, quod dicitur : *Dixerunt* « *ergo Judaei : Ecce quomodo amabat eum, quia vido-* « *bant evidens signum, innumens per hoc, quod* « *libenter, si posset, preservasset eum a morte;* » « unde et miraculo circa caecum natum a Christo « edito detraxerunt, dicendo : « *Non poterat hic, qui* « *aperuit, etc.* Quasi dicat, ex quo non potest hoc, « nec illud potuit, nec fecit. » Salmeron vero ad « nostram consolationem nobis insinuat, dicens : « Ferenda sunt falsa et diversa hominum judicia de « nostris operibus; nam quivis Abel habet suum « Cain; hinc lachrymas Christi quidam tribuunt « amori, quidam impotentiae, dicentes : *Non pote-* « *rat hic, qui aperuit, etc., quia si noluit a morte* « *servare, cur nunc lachrymis testatur intempesti-* « *vum amorem? si autem voluit, quomodo non* « *potuit, qui praeslitit, quod majus erat?* »

VERSUS 37.

Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat « *hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere, ut hic* « *non moreretur?* »

1. — Praeproperum fuit eorum iudicium, « inquit Lucas Brugensis, « non expectantium finem « rei; poterat facere, ne hic non moreretur, sed « noluerat, non quod mors Lazari ipsi grata esset, « quae per se displicebat, sed quod ea ipsi utendum « esset, ad expugnandam Judaeorum incredulitatem

« et propagandam gloriam Filii Dei, et permisit, « ut moreretur, quod majori miraculo suscitaretur, « noluit facere minus, quo faceret majus. Qui no- «luit, inquit Augustinus, facere, ut non moreretur, « plus est, quod facturus est, ut mortuus suscite- « tur. »

2. — Hugo Cardinalis Judaeorum ponderat ma- « lignitatem, qui dum miraculum a Christo in caeco « nato edulum confessi fuerant, eidem pariter detraxe- « runt : « Nota, quod confitentur, quod aperuit oculos « los caeci et congruo existente pro illo admirari, « inde detrahunt, ut nullo facto signo. » Theophy- « lactus ait : « Iterum malignitatem contexerunt, « tametsi calamitas ante oculos ipsorum sita erat. » Idem quoque notat, quod S. Joannes malitiam « ipsorum refert : « Quia antequam Christus osten- « deret se resuscitaturum, praeventiunt eum accusa- « tionibus, non expectantes rei finem; Christus « autem non respondit eis per verba, sed per opera « divinitatis, ut malignis majorem verecundiam « inferat et alios ad fidem convertat. » Chryso- « stomus ad hoc se reflectit, quod Christus se ad longe « mirabilis miraculum edendum, id est, Lazarum a « morte ad vitam revocandum accinxerit, quam fuisse, « si illum praeservasset a morte; ac proinde mali- « tiam Judaicam tacitus per hoc reprehendit. » In « quo ergo ejus virtus erat admiranda, in eo Jesum « calumniantur; confitentur autem aperuisse oculos « caeci et quod rursus debebant admirari, calum- « niantur ac si nihil fecisset. »

VERSUS 38.

Jesus ergo rursus fremens in semetipso venit ad « *monumentum; erat autem spelunca; et lapis* « *superpositus erat ei.* »

Jesus ergo rursus fremens in semetipso.

1. — S. Thomas causam nobis declarat, cur « Evangelista omnem nobis tristitia, turbationis, « fremitus et fletus Christi circumstantiam recluderet « et ait : « Quia ostensurus erat suae divinitatis pote- « tatem; ne dubitares ergo de veritate suae huma- « nitatis, infraiora et humiliora naturae nostrae « de Christo asserit. » Salmeron ait : « Quae si non « monstrasset, non facile credidissent eum homi- « nem post tantum miraculum. »

2. — Rupertus Abbas differentiam considerat « inter hunc fremitum et primum, siquidem post « hunc fremitum non replicatur ipsum fuisse turba- « tum : « Cum primo fremuit spiritu fortitudinis suae « Dominus Jesus, id est, quando infernum debella- « turus intravit vera mortis passione turbatus; « quando autem fremet iterum, scilicet veniens ad « iudicandum, non turbabitur, quia jam impassi- « bilis est, et mors illi ultra non dominabitur; tunc « vociferabitur et clamabit, fremitum suo movebit « virtutes eorum; unus idemque terror valide

« tempestatis occidit et eodem momento rursus « excitans vivere faciet. »

3. — S. Thomas ait : « Mystice autem infremuit, « ut detur intelligere, eos, qui a peccatis resurgunt, « in continuo debere persistere luctu. »

Venit ad monumentum.

4. — Lyranus nos dietionis hujus ethymologiam « docet, dicens : « Dicitur enim sepulchrum monu- « mentum, quia monet viventes, ut praecogitent « mortem. »

5. — S. Augustinus ad peccatorem in peccatis « habitatum, qui per quadriduam hoc cadaver « significatur, alludens, dicit : « Omni homini, qui « premitur pessima consuetudine, dicitur : *Venite* « *ad monumentum.* »

Erat autem spelunca.

6. — S. Thomas ait : « Mystice autem per spe- « luncam intelligitur profunditas peccatorum. »

Et lapis superpositus erat ei.

7. — Idem S. Doctor ait : « Per lapidem super- « positum intelligitur lex, quae in lapide scripta « est et peccatum non tollebat, sed tenebat eos in « peccato, quia ex hoc gravius peccabant, quod « contra legem faciebant. » Cui consonat expositio « S. Augustini dietionis : « Mortuus sub lapide, reus « sub lege; scitis enim quia lex, quae data est « Judaeis, in lapide scripta est. »

VERSUS 39.

Ait Jesus : Tollite lapidem; dicit ei Martha soror « *ejus, qui mortuus fuerat : Domine, jam factus;* « *quadriduamus est enim.* »

1. — Chrysostomus hoc loco quaerit, cur Christus « voce sua lapidi non imperarit, ut semetipsum « absque alterius viri opera submoveret, sicut voce « sua praecerat morti : « Poterat enim, qui corpus « mortuum voce moverat et corrupto animam in- « spiraverat, multo magis lapidem movere, sed cur « non fecit? ut eos testes faceret miraculi, ne dice- « rent, quod et de caeco, hic est, non est; manus « enim et praesentia illorum ipsum esse testaban- « tur. » Dentum vero manifesta identitatis illius « cadaveris indicia recenset, dicens : « Cum lapidem « tulerint, cum ligatus exierit, cum jussus sit solvi, « cum amici, a quibus fuerat exportatus, praesen- « tes ipsum viderint, et ex vestibulis agnovissent, et « cum sorores illine non abierint et Martha, quia « jam quadriduam esset, fessere dixerit, haec omnia « sufficientia erant, etc. »

2. — Lucas Brugensis nequaquam cum miraculo « contentis existimat, si Christus lapidem illum ab « ostio monumenti seipso exilire fecisset, reddiditque « rationem, dicens : « Quia non conveniebat, ut vel

« per se, vel miraculo faceret, quae commode fieri « ab aliis poterant, quando autem astantium opera « utebatur, fiebant illi certissimi testes miraculi. » Theophylactus Judaeos de obstinatione et ingrati- « tudine sua reprehendens ait : « Adesse in loco et tol- « lere lapidem suis manibus, sufficientia erant ad « obtinendam ingratorum ora, qui testes signi facti « erant. »

3. — In hoc quoque facto Christus nobis suum « agendi styllum, quem nobiscum servare solitus erat, « insinuavit, quotiescumque enim nostram vult ope- « rari salutem, ex nostra quoque parte aliqualem « requirit cooperationem, non vero solus ipse omnia « facere intendit. S. Ambrosius, *lib. II de penit.*, vii, « de conditionibus penitentiae tractans, quae ab hoc « requiruntur, ut sit stabilis et vera, hanc praesentem « Lazari adducit historiam et ait : « Poterat tacita vi « operationis occulte transferre saxum sepulchri, « sed hominibus jussit ut removerent, in typo, quod « nobis donaret, ut levaremus delictorum onera, « moles quasdam reorum, nostrum est onera remo- « vere. » Non sufficit profecto, quod Deus voce sua « nos invitet et vocet, nosque faciat penitere et ad « pristinum redire gratiae jugum a se abjunctum; sta- « tum enim post lachrymas veniunt ad piora; his « a Christo dicitur : *Tollite lapidem*, quasi dicat : « placet, quod commissa ploratis, sed deplorata « iterum non repetatis; qui enim lavatur a mortuo « et iterum tangit mortuum, quod illi profuit ablu- « tio? » Chrysologus, *Serm. lxxv*, quoque mysterium « investigans, propter quod Christus velut in omni- « potentiae suae subsidium hominis cooperationem « requisierit, ita scribit : « Inter divinas virtutes « humanum Christus requirit auxilium? non suffi- « cit amovere lapidem, cui mortem sufficienti effu- « garet? sepulchri claustra reserare non valet, qui « portas tartari praevalere aperire? Dixerat per Pro- « phetam : *Auferam cor lapideum de carne eorum* et « *dabo eis cor carneum*; praecipit ergo, ut Judaei ex « se cor lapideum tollerent. » Deus quidem nos a « morte peccati redire vult ad vitam gratiae, vult « tamen ut ex nostra parte et medio cordis nostri sub- « moveamus obstinationem, nostramque voluntatem « in ipsius desiderium inclinamus; nullam quippe « libero arbitrio nostro vult inferre violentiam. Alber- « tus Magnus per hunc lapidem, voluntatis et cordis « nostri duritiam interpretatur, quae quando vincitur « et ad divinam gratiam inclinatur significat, « abla- « tionem obdurationis cordis ejus qui a Domino est « suscitandus. » Salmeron de peccatore scribit : « Habet super se saxum superpositum, id est, deli- « ctum obdurationis, de quo dicitur : *Secundum*

« duritiam tuam et impenitentem cor thesaurizos tibi
« iuam; ut tollendus lapis ad suscitacionem, ita
« lapis obstinationis a peccatore, ut possit audire
« verbum Dei. »

5. — S. Thomas ex S. Augustino dici posse existimat, quod per hanc ingentem saxi molem, quam auferri iussit, pondus denotetur observantiarum legalium antiquae legis, de quo S. Petrus, *Act.*, xv, 10, his verbis lamentatur: *Jugum est, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Hæc enim præcepta tum moralia, tum ceremonialia, tum judicialia, tum denique legalia ad numerum sexcentorum tredecim ascendebant. « Mystice secundum Augustinum, remotio lapidis signat amonitionem ponderis legalium observantiarum, a fidelibus Christi ex gentibus ad Ecclesiam venientibus, quod eis aliqui imponere volebant: « *Tollite lapidem*, id est, legis pondus, et gratiam prædicate. »

6. — S. Antonius de Padua summam expendit difficultatem, quam peccator experitur, dum ad gratiam resurgere nititur, eo quod arduum illi esse videatur licentiosæ et dissolutæ vitæ suæ dimittere voluptates atque delicias: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum et sicut onus grave gravata sunt super me;* et vero Deum nostrum introducit, qui in auxilium nostrum dicit: « Removete lapidem, » scilicet per meæ passionis memoriam, quæ habet scindere cor lapidem et monumenta reserare. »

7. — Salmeron ex alia parte optime considerat, Christum similiter noluisse, ut Lazarus resuscitatus e monumento egrederetur penetrando lapidem, id enim si fieri disposuisset, iudicasset utique ipsum ad vitam resuscitatum fuisse immortalem: « Voluit alia ratione lapidem tolli, quia Lazarus resuscitatus erat ad vitam mortalem et corpus ejus non erat dotibus gloriosius honestandum, ut postea lapidem penetrare, sed corpus ejus suscitatum est mortale et corruptibile, et quod post paucos annos erat iterum a morte devorandum, ideo aperto sepulchro suscitatus est; Christus vero in quem mors ultra dominari non debebat, alio monumento suscitatus est, positus ibi lintheamentibus, quibus suscitatus non indiget. »

8. — Cajetanus quoque aliam affert rationem, dum ait: « Si enim clauso sepulchro exisset, existimatum fuisset spectrum aliquid. »

9. — S. Thomas considerans, quod in lapidibus et saxis, in quæ impingimus, scandala præfiguntur, ita scribit: « Vel per lapidem significat eos, qui in Ecclesia corrupte vivunt et offensionis sunt credentibus vobis, dum eos a conversione retrahunt. *Isaia*, lvi, 14: *Auferite offendicula.* »

Dixit ei Martha soror ejus, quæ mortuus fuerat.

10. — « Non autem sine mysterio Evangelista addit tot verba; nempe soror ejus, quæ mortuus

fuerat, » inquit Toletus, « cum alias sepe sub nomine Marthe usus sit, his enim verbis significare voluit miraculi magnitudinem; nam erat Lazarus ita jam corruptus, ut nec sorori propriæ gratias ejus fuerit aspectus. »

Domine, jam fetet.

11. — Rupertus Abbas Tutiensis existimat, quod Martha hæc verba dixerit, postquam hoc a Domino præceptum datum esse audivit: Tollite lapidem; et ideo subjungit: « Cur lapidem tolli jubes? Ut videas amicum saltem mortuum? An ut miseris sororibus vivum reddas illum? Si illud intendis, facere potes; si autem ut videas, dico tibi, jam fetet, quatruiduanus est enim et idcirco visus idoneus non est. » Jansenius hoc loco considerat, quod Martha hæc dicens minime se ad factam sibi a Christo promissionem reflexerit, quæ a Domino dictum fuerat: *Resurget frater tuus, multo minus ad id, quod in expressione fidei suæ protestata fuerat: Ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi.* Unde dicit Martham distulisse executionem præcepti a Christo dati, de submovendo lapide, ne Christi nares ex fetore cadaveris illius offenderentur: « Quibus verbis ut reverentiam quandam prætendebat erga Dominum, ejus nares verebatur, ne cadaveris fetore offenderet, ita de miraculo futuro non se securam et satis confidentem declarabat; » verumtamen totum hoc ad majorem serviebat miraculi hujus patranda gloriam et justificationem, nimirum cum jam ex verbis sororis constaret omnibus diuturnitas mortis et illius diffidentia declararet, nullam fuisse infer Jesum et sorores collusionem. » Chrysologus, *Serm.* lxxii, omnes hujus historie circumstantias considerans, huncque resuscitatum Lazarum, cum aliis a Christo resuscitatis, filios nimirum viduæ Naimiticæ et filia Archysynagogi conferens, concludit dicens: « Circa quem, » scilicet Lazarum, « vis tota mortis completa est. »

12. — Enimvero certum est, Judæis olim maxime divitiibus et nobilibus in more positum fuisse, ut defunctorum suorum corpora multis aromatibus, balsamo, aliisque unguentis copiose condirent; quod si etiam circa Lazarum, prout valde est verisimile, præstitum fuit, mirum profecto est, quod Martha fetorem e fratris corpore exhalandum fore timeret? Ad quod responderi quidem potest, omnes hæc circa cadavera adhibitæ industria nonnunquam fetorem illorum vincere nequaquam posse; vel dici potest, vanum quemdam Marthæ metum fuisse, facile enim mulieres aliquid timere solent. At vero quoad sensum moralem dici potest, quod sicut Apostolus, *II Cor.*, ii, 13, in persona omnium justorum dicit: *Christi bonus odor sumus in omni loco*, ita de impiis dici potest omnino oppositum, scilicet quod tametsi cunctis Indiæ odoribus perfu-

mentur et imbuantur, nihilominus pessime semper fetere soleant; unde de hisce Chrysostomus, *Hom.* xxviii in *Matth.*, scribit: « In sepulchro a seipis intrusi, ingenti peccatorum mole obruantur et eorum anima corrupta per totam vitam os habens, vel ipsi eloacis spurcius, intolerabilem expirat odorem. »

13. — S. Thomas inquit: « Mystice autem de illo, qui peccare consuevit, dici potest: *Jam fetet*, scilicet per pessimam famam, ejus odor deterimus per peccatum consurgit; » si namque qui in peccatis habitati sunt, facillime semetipsos produnt, utpote qui publicum dant aliis scandalum. Unde Rupertus Abbas, *lib. V in Genes.*, c. ix, ait: « Lazarus eadem dormitione sua, vel quatruiduana sepultura typum gerit peccatoris jam consuetudine nequitie inveterati, jamque mala operatione fetentis. »

14. — Chrysologus ex occasione fetentis Lazari quaerit: « Mulier, et quod fetet ejus est? » quibus verbis ad peccati fetorem alludit, quod eam a protomatre nostra Eva originem suam habuit, quod bonum terrestris Paradisi odorem turpiter infecti: « Modo ad te perlinet, quod ad te venit; ad sepulchrum non sentires fetorem, si in Paradiso suamorem noluisse audire: quod perditore fetet, non fetet creatori. »

15. — Salmeron modum nos docet, quod dum spiritualiter mortui sumus, ad gratiæ vitam resurgere valeamus: « Opus est, videre mortuum et sentire fetorem, id est, confundi et conterri de peccatis, de quibus Apostolus: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc crubescitis?* » *Nam finis illorum mors est.* » Hisce quoque adjuncti poterit consideratio mortis, vermium et putredinis corporum nostrorum, quæ in Dei offensam amorem nostrum ad se trahere solent.

Quatruiduanus est enim.

16. — Cajetanus inquit: « Ut nulli calumnia possit miraculum hoc subesse, quatruiduanus in monumento asseritur; et simul intelligamus, » Martham non sperasse tale miraculum, ipsa est, quæ obstat, ne aperiatur sepulchrum. » Albertus Magnus fetorem hunc ex calidi illius climatis proprietate profectum esse dicit: « Tantum enim tempus in terra calida magnum interiorum inducit corruptionem. Interioribus autem corruptis, non est possibilitas aliqua ad vitam; quia interiora sunt vasa vitæ et non exteriora, in quibus adhuc forte figuram mortuus tenuerat. »

17. — Salmeron, *tract.* xlv, moralizando verba illa in ordine ad peccatorem per hoc quatruiduanum cadaver denotatum, ita dicit: « Qui peccator his gradibus, ad quatruiduanum illud pervenit. Primo objecta esea per suggestionem demonis delectatur; deinde operi nefario, quod suggeritur,

consensum præbet. Tertio non solum consentit, sed opere exequitur, quod suggestum est. Quarto postquam semel quæ exiit pudorem et peccare cepit, consuetudinem contrahit in vitio. » Eundem quoque sensum exprimit S. Thomas de Villanova dum ait: « Quatruiduanus est, quoniam quatuor dies in peccato habet; scilicet consensus, opus, consuetudinem et contemptum. » Etenim isti, qui peccati infirmitatem ab uno pridem alterove tantum die contraxit, facile curatur, eo quod malum in eo radices nondum egerit: « Sed quatruiduanus vix unquam a peccato resurgit, » juxta illud Amos Propheta: *Super tribus seleebus Danacæ, et super quatuor non convertam eum; super tribus sceleribus Gataz, et super quatuor non convertam eum; super tribus sceleribus Edom, Tyri, Moab, Juda, et super quatuor non convertam eum, quasi dicit: Tribus sceleribus aliquando parcam; quarto vix parcam. » Denum vero idem S. Archiepiscopus in Lazaro peccatorem obstinatium specialissime designatum fuisse his verbis dicit: « Lazarus quatruiduanus, fetidus et sepultus, peccatoris typum gerit, non ejuscumque, sed obstinati, indurati, in quo ratio, mens, sensus, syndesmis resis vitio sepulta sunt. »*

VERSUS 40.

Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si crederis, videbis gloriam Dei.

1. — Toletus in hisce verbis reprehensionem quandam latere agnoscit: « Quasi Christus diceret: « Reprehensione tanto magis est digna, quanto plus es a me jam edocta. Dixi enim tibi: *Si crederis, videbis gloriam Dei*, id est, videbis miraculum insigne divinitatis meæ, in quo mea divinitas comprobabitur et innotescet. » Lucas Brugensis Christum hæc reprehensione tibi voluisse existimat, dicit enim: « Respondet castigans objurgationeula, et languam parum memorem et fidei parum tenacem; » qui idem Rupertus Abbas auctoritatem adducens, subjungit quod Christus in promissione illa: *Videbis gloriam Dei*, intenderit significare « inauditam hæcenus resuscitacionem quatruiduani. » Cajetanus aliam diversam opinionem tradit; dicit enim hæc verba a Christo dicta esse: « Ad declarandum quorsum dixit ei hæc, ut vel nunc erigatur Martha cum auditoribus in fidem et spem futuri miraculi, ad gloriam Dei. »

2. — S. Cyrillus Christum hæc dictione *gloriam Dei*, usum fuisse dicit, ut vitaret inanem gloriam: « Non dixit: *Videbis gloriam meam*, sed *Dei*. » *Gloria vero Dei*, id est, suscitatio mortuum. »

3. — Dicit quoque potest hic per gloriam Dei justificationem intelligi peccatoris, dum illum e peccati sepulchro resuscitatum, atque ab inferno ereptum, Vitæ gratiæ restituit, eumque a Paradiso

et gloria exultantem in libertatem asserit. Filius Dei per os Prophetæ Evangelici, XLVI, 13, ita loquitur: *Salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem et in Israel gloriam meam*; id quod reipsa adimpletum fuit, quando ipsa die gloriose resurrectionis suæ Apostolis in concilio Sionyico peccata remittendi et peccatores justificandi potestatem contulit, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Et quidem quod gratiam suam justificantem gloriæ Dei filio coonestet, ex illo S. Pauli, *Rom.*, III, 23, textu clare deducitur: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*.

VERSUS 41.

Tulerunt ergo lapidem; Jesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.

Tulerunt ergo lapidem.

1. — Lucas Brugenis dicit, quod lapide ab ostio monumenti sublato, « Contendebant singuli præsentium inspicere et mortuum videre; ejus situm notare, prout inspererunt, viderunt et notaverunt, quantum licuit. » Additque, quod mox ut sepulchrum patefactum fuit, intolerabilis quidam fetor singulorum nares invaserit, ad contestandam tanto evidentius cadaveris putredinem.

2. — S. Thomas considerat dilationem in tollendo lapide ab ostio per Martham facto fuisse causam, dicit enim: « Et ideo tandem resuscitatio fratris dilata est, quando Christum per verba delinuit; sed statim enim Christi mandatum obediendo exequitur, frater resuscitatur. » Unde pulchram quandam adversus illos moralitatem deducit, qui conversionem suam de die in diem differre consueverunt: « Ut per hoc discamus nihil interponere inter jussa Jesu et ipsorum executionem, si cupimus, quod statim salutis sequatur effectus. »

Jesus autem elevatis sursum oculis.

3. — « In celum oculos sustulit, » inquit Salmeron, « et cum Deo colloquens est, ut ipso corporis gestu testaretur, hæc se divina virtute facere; ne qua magis aut præstigii suspicio apud aliquem resideret et ut doceat nos omnia opera, quæ magnifice agimus, ad Deum referre. »

4. — S. Thomas nobis oraturis exemplum Christi imitandum esse dicit: « Necesso est levare oculos mentis nostræ ad Deum, removendo illos a præsentibus rebus, memoria, cogitationibus et intentionibus. Levamus etiam oculos ad Deum, quando non confidentes de meritis nostris, de sola Dei misericordia speramus. »

Pater, gratias ago tibi.

5. — Cajetanus dictionem illam, *Pater*, exponens

ait: « Ut vel hoc opere cognoscat, quod verus est Filius Dei. Toletus inquit: Verbum quoddam profert, ut Deus, et quoddam ut homo, ut sicut una persona Deus erat et homo, ita unica sententia verbum Dei et verbum habebat hominis. Patrem appellat ut Deus; auditus et gratias agit ut homo. » Quamvis etiam possumus asserere, Christum in hoc manifesta edidisse divinitatis sue indicia. Nam ut Jansenius ait: « Non orat pro edendo miraculo, sed ante edictum miraculum gratias agit, quod alii facturi erant post editum miraculum; » per hanc igitur anticipatam gratiarum actionem, certitudinem demonstrat, quæ de miraculo secuturo securus erat, sciens, hoc ipsum ab ejus omnipotentia et voluntate unice dependere.

6. — Rupertus Abbas Tuitiensis, lib. X in *Joan.*, Christum hanc gratiarum actionem ad divinam suam filiationem manifestandam ordinasse scribit hisce verbis: « Ideo gratias ago, ut testificante per subsequens opus, me tibi gratum et beneficiatum esse cognoscat populus et credat, qui circumstat, quod non injuriose, sed gratiose dixerim superius: *Ego et Pater unum sumus*. » Albertus Magnus Arianos in hisce verbis fundatos fuisse dicit, ut Christum Patre inferiori fuisse assereret; siquidem ipse se Patri per orationem recommendavit, ad hoc ut miraculum istud edere posset. At vero hæreticis illis hunc in modum respondet: « Ex littera hoc ostenditur non esse verum. In oratione ostendit, quod ad Patrem omnia dirigit, et hoc patet, quia nemo gratias agit de hoc, quod adhuc non recepit; Christus autem hic ante miraculum gratias agit; adhuc autem ante orationem nemo scit, se exauditum esse, Christus autem ante orationem se exauditum dicit; adhuc autem nemo scit se semper fore exaudiendum et hoc etiam Christus hic dicit. »

7. — Iyrannus Christum Judæos per hanc gratiarum actionem mendacii arguere voluisse dicit, qui Christo, quod in virtute demonum miracula patretur, objiciebant: « Quod facit ad declarationem miraculi, quia Judæi Christo imponebant, quod faciebat miracula virtute demonis. »

8. — Gratitudo pro præteritis beneficiis exhibita, inquit idem Auctor, pignus est, vi cuius alia sperare et petere possumus: « Ex gratiarum actione de præteritis, ad prestanda beneficia sequentia provocatur. »

9. — S. Thomas inquit: « Lachrymæ, quas Christus pro morte Lazari fuderat, vicem orationis habuerunt. » Sed quo fine ipsum gratias egisse arbitraris? « Per hoc autem quod in principio orationis gratias agit, datur nobis exemplum, quod cum orare volumus, antequam futura petamus, pro perceptis beneficiis Deo gratias referamus. » In descriptione multiplicationis panum et piscium a Christo factæ refert S. Joannes,

VI, 11: *Cum gratias egisset, distribuit discumbentibus*; in que verba Cajetanus ita scribit: « Ad erudendum nos, quod futurorum petitio ex præteritorum gratitudine consurgit. » Enimvero valde est verisimile, quod non solum de corporali Lazari resurrectione, verum etiam de spirituali una cum tot aliis, qui viso hoc miraculo in eum crederent, juxta illud: *Viderant, quæ Jesus fecit et crederant in eum*, æterno Patri suo gratias egerit.

Quoniam audisti me.

10. — Hisce verbis Salvator noster orationis denotare voluit efficaciam, que nonnunquam a Deo exauditur, priusquam nos ad orandum labia nostra moveamus, *Psal.*, x, 17: *Præparationem cordis ejus tribuisti ei*, *Psal.*, xx, 3: *Antequam egi, ego exaudiam*. S. Bernardus, *Serm.*, v in *Quadr.*, ait: « Priusquam egredere sis ab ore nostro, ipse jubet eam scribi in libro suo. »

VERSUS 42.

Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.

1. — Jansenius inquit: « Quo significat adeo se non esse Deo contrarium, ut in omnibus una sit illi, eademque cum Deo voluntas et quidquid ipse velit, etiam Pater per illum fieri velit. Hoc est enim: *semper me audis*. » Lucas Brugenis quoque eadem verba de ejusdem divinæ voluntatis identitatem exponit, dicens: « Hoc est, idem vis quod ego; semper vis que volo, inquit Enthymius. Nam eadem utriusque voluntas est, ac mens eadem. »

2. — S. Thomas, in *Joan.*, ad illa se verba: *Propter populum, qui circumstat*, reflectens ita ait: « In quo datur intelligi, quod multa fecit et dixit propter utilitatem aliorum; nam omnis Christi actio, nostra est instructio. »

3. — Dionysius Carthusianus Christum se per hanc æterni Patris sui invocationem apud Judæos defendere voluisse dicit ab illa calumnia, qua ipsum in virtute demonum miracula facere calumniabantur; ostendere igitur voluit, se non demonis, sed æterni Patris sui virtute miracula operari: « Audiendo quod invoco te, sciant me non in principe demoniorum, seu magicis artibus operari, sed tua virtute et per consequens quod sim missus a te, verus in sermone et justus in opere. »

VERSUS 43.

Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.

Clamavit voce magna.

1. — S. Cyrillus clamorem istum valde his verbis admiratur: « Novum ubique et insolens Servatori

nostro; etenim Deus et Pater alicubi de illo ait: *Non contendet, neque vociferabitur*. Quid ergo dicemus, quoniam videamus illum præter consuetudinem vociferantem? » Respondetque id factum esse propter figuram universalis resurrectionis, quando eadem Filii Dei voci omnium defunctorum auribus insonabat dicens: *Surgite mortui*.

2. — Theophylactus inquit: « Magna vox Salvatoris, que Lazarum suscitavit, symbolum est magna tubæ, que sonatura est in magna resurrectione. » Rupertus Abbas quoque ad tubam novissimam alludens ait: « Magno quoque colorum fragore, magna celestium virtutum commotione dormientes in sepulchro concutiet, nam Deus, » inquit Psalmista: *Manifeste veniet et non silebit*.

3. — Lucas Brugenis ait: « Non silentio rem conficere voluit, quia constare voluit, se auctorem esse, ut glorificaretur Filius Dei; magna, alta, » foris, que longe possit audiri; » voluit nimirum, ut omnes intelligerent verba illa, quibus ad Lazarum a mortuis ad vitam suscitandum utebatur, non esse superstitiosa, aut magica: « Hoc facit ad declarationem miraculi, » inquit Iyrannus, « quia si dixisset in silentio, possent dicere adversarii quod verba magica dixisset, vel interpositisset. »

4. — S. Thomas Christum quemdam gentiliū, nec non et Judæorum errorem extinguere voluisse dicit, qui in ea erant opinione, quod animæ pariter cum corporibus morarentur in sepulchro: « Ideo clamavit, quasi animam ex longinquo evocans, in tumultu non existentem. »

5. — Salmeron ait: « Ut intelligant quod solo imperio verbi sui, quod mundum condidit, mortuum excitat, et quia animam absentem vocat, non corpus præsens. »

6. — S. Augustinus, *tract.*, xix in *Joan.*, habitati peccatoris allusioni insistens ita scribit: « Fremuit, » lachrymavit, voce magna clamavit. Quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. » Et in alio quodam sermone idem S. Doctor dicit: « Ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine obdurerunt; » opus etenim est voce illa, de qua in Actibus Apostolicis dicitur: *Facta autem hæc voce convulsit*, etc. Ubi notandum, quod quando Judæos anlea induratos convertit, Spiritus Sanctus in specie linguarum ignearum super Apostolos descendens: *Tanquam spiritus vehementis*, etc., vox appelleretur; hæc enim voce opus est, quando corda peccatorum indurata inducenda sunt ad veram penitentiam, *Ps.*, xxviii, 37: *Vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercedentis flammam ignis*; *vox Domini concutientis desertum*.

7. — Ad hæc si per vocem Christi clamantem tuba novissimi judicii, ut diximus, symbolizata intelligatur, fatendum est, hanc quoque ad hoc in peccatis obdurati, vel ut foletia et quadrimana

cadavera e peccati sepulchro egredi cogantur, magnam in se habere efficaciam et energiam. Unde Rupertus Abbas ait: « Quia non nisi magno terrore aspirantis dei et de futuro iudicio comminantis exterritus, male securus peccator ad cor suum reducitur; statim prodit, id est, reatum suum confitetur. »

8. — « Quae vox, ut quidam dicunt, » inquit S. Antonius de Padua, « audita est in inferno, » ad lymbum forsitan alludit, ubi verisimile est, Lazarum fuisse quadriduo illo demoratum, utpote qui Dei amicus erat, demum per hoc cadaver peccatorem in culpa obstinatum intelligens ulterius prosequitur, dicens: « *Vox magna*, quia difficulter homo peccati consuetudine consopitus resurgit. » Necesse enim est, ut vox Christi profundissimam penetret inferni abyssum, ut peccator ab illis tenebris extrahi possit.

9. — Hugo Cardinalis occasione huius vocis vociferantis salutare tradit documentum pro illis, qui verbo divino mediante animas in peccato mortuas resuscitare satagunt: « Per hoc nos docet, quod antequam clamemus ad mortuos per praedicationem, clamare debemus ad Deum per orationem, vel gratiarum actionem. Et nota quod Dominus clamat voce magna, id est, affectuosa per predicatores suos. »

Lazarus.

10. — S. Bonaventura dicit, nomen hoc Lazarus idem significare quod « adjuvus a Domino, quod bene congruebat ei et ratione facti, quia fuit a Deo resuscitatus; et ratione mysterii; sua enim resuscitatio significavit resurrectionem animae a morte peccati. »

11. — Cajetanus, in *Joan.*, ait: « Multis ibi sepultis, unus erat nominandus, ut ille unus resurgeret. » S. Thomas expressius et magis proprie, car ipsum nomine proprio compellat, exponit, dicens: « Quem ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis, quod pariter omnes mortui cogentur exire, nisi per expressionem nominis virtutem suam ad unum determinasset, ut Augustinus dicit. »

Veni foras.

12. — Lucas Brungensis notat Christum non fuisse contentum ex eo quod Lazarus rediisset ad vitam, ideoque simul voluisse, ut in omnium circumstantiarum praesentia e spelunca sive sepulchro suo foras prodiret: « Prodi ex antro sepulchri et omnibus conspicuum te praebere, duplici scilicet miraculo; nec enim nisi altero miraculo e profundo sepulchri exire statim velociterque poterat, praesertim ligatus manus et pedes, et obvietus oculos; » at vero, ut in S. Cyrillo legitur: « Et vultus quidem velamento videndi usu priva-

tus, nullo tamen impedimento, quo minus ad eum, qui vocaverat, curreret, retardatus; agnoscentis Domini vocem. » Chrysologus, *Serm. lxxii*, nos ad admirandum inferni, seu potius lymbi sollicitudinem invitat, utpote qui protinus ad Christi vocem animam illam restituit: « Tunc tartarus ligatis manibus ac pedibus Lazarum retulit ad superna, timens et tremens, ne dum solvit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert unum, omnes cogereetur afferre. »

13. — S. Gregorius ita scribit: « Dicit autem Lazaro, *veni foras*, ut ab accusatione et occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire provocetur, ut qui intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a semetipso foras exeat per confessionem. » Ad hanc Christi vocem in novissima die, quando Index sedebit, omnes conscientiae revelabuntur: « Liber scriptus profertur, in quo totum continetur, unde mundus iudicetur. *Tu fecisti abscondite, ego faciam verbum istud in conspectu omnis Israel et in conspectu solis.* »

14. — Richardus de S. Victore in libro, quem scripsit, *de potestate ligandi et solvendi*, dicit: « Quid est autem resuscitatum inde, ubi mortuus jacuerat, exire, nisi peccatum suum penitus et in perpetuum deserere? » Ad hoc autem intentum assequendum, non solum requiritur ut e sepulchro, id est, a peccato suo exeat, verum etiam ut ab eo elongetur, id est, omnes deserat etiam peccandi occasiones. Unde S. Thomas Doctor Angelicus, in *Joan.*, ait: « Datur per hoc intelligi, quod Christus vocat peccatores foras exire, de conversatione peccati. » S. Thomas de Villanova in concione super praesens Evangelium dicit: « Exi foras, non solum a delicto, sed etiam ab occasione et delinquendi proposito; quidam enim ad modicum in Quadragesima peccata deserunt, sed peccandi propositum nunquam dimittunt, quidam etiam cum peccatis etiam propositum peccandi reliquissent sibi videntur, sed occasiones delinquendi non fugiunt; hi non suscitantur, quia non omnino foras exeunt. »

15. — S. Ambrosius de poenitentia tractans dicit: « *Veni foras*; hoc est, qui jacet in tenebris conscientiae et delictorum tuorum sordibus, exi foras, delictum propriam prode, ut justificeris. » S. Thomas de Villanova ait: « Qualis intus in conscientia es, talis foras in confessione prodi; non vulnera tua pallies, non excuses, non defendas; si enim operum medicamentis expectas, necesse est ut vulnera tua detegas; revela te uni, ne aliquid quando reveleris universo mundo; sustine nunc verecundiam unius sacerdotis, ne postmodum sustineas verecundiam orbis. »

VERSUS 44.

Et statim prodit qui mortuus fuerat, ligatus pedes et manus insitis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit ergo Jesus: Solvite eum, et simile abire.

Et statim prodit.

1. — « Inaudita profecto vocis haec est virtus, » inquit Toletus, « ut animam trahere loco, in quo morabatur et corpus recipiendae animae disponere, simulque utrumque venire et ut revocatus ad vitam, mandato obediret, unico momento potuit. » Lucas Brungensis notat, Christum pro majore miraculi evidentiā Lazarum, e sepulchro egredi voluisse; dixit enim: « Eo habitu, quo fuerat a domesticis et amicis e Jerosolymis ad funus evocatus hic jam astantibus, a quadriduo sepultus, ut ipsissimus esse certe cognosceretur. » Id quod Jansenius pariter confirmat, dum ait: « Ad astruendam magis miraculi certitudinem, ne quid et ne aliquid desset ad plenissimam miraculi fidem. »

2. — S. Thomas quod sensum moralem ita scribit: « Prodit namque peccator, quando exit poenitendo a consuetudine peccati ad statum iustitiae, qui tamen habet manus ligatas insitis, id est, carnalibus concupiscentiis, quia adhuc in corpore constituit, alieni a molestiis esse non possunt, etiam a peccatis surgentes. »

3. — S. Augustinus, *tract. xlix*, contextum hunc pariter de peccatore hunc in modum exponit: « Quando contemnis, mortuus jaces et si tanta quanta dixi, contemnis, sepultus jaces, quando confulteris, procedis; quid est procedere, nisi ab oculis, velut exundo, manifestari? Sed ut confulteris, Deus facit, magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. »

Ligatus pedes et manus.

4. — S. Bonaventura ait: « Est ligatio multiplex: una est vineulis culpae, quae signatur hic, alia est vineulis poenae, ligatis manus et pedes. » Idem S. Seraphicus Doctor ad propositum praesens, S. Gregorii auctoritatem in haec verba adducit: « Tunc ligat poena, quos modo a bonis operibus ligavit culpa; pedes enim qui visitare aegrotum negligunt, manus, quae nihil indigentibus tribuunt, ligatae sunt. »

5. — Albertus Magnus inquit: « Spiritualliter, quando Deus per gratiam suam hominem a morte suscitavit, ligatus est ad poenam expiationis; nec ante sunt affectus et intellectus, et horum ligamen difficultatem significat cognoscendi verum et amandi sive volendi bonum; manus autem significant potestatem operandi opera virtutis et horum ligatio signat difficultatem ad opera virtutum. »

Et facies ejus sudario erat ligata.

6. — S. Cyrillus Alexandrinus ad sensum moralem recurringdo ita loquitur: « In peccatum lapsi dedecus inde contractum, veluti quoddam velamen animae nostrae faciei circumposuimus et mortis laqueis irretiti sumus. » Porro prima iactura, quam anima in culpae barathrum prolapsa patitur, est, quod lumen iudicii, rationis, discursus, ejus praecipue, qui circa divina et caelestia instituitur, amittat.

7. — S. Thomas ad aliud quoddam respicit mysterium, dum ait: « Hoc est, quod in vita plenam cognitionem Dei habere non possumus. I *Cor.*, xii, 12: *Videmus nunc per speculum in enigmate.* » Albertus Magnus ad sententiam Doctoris Angelici alludens hanc affert expositionem? « Sudarium autem super caput, signat velamen faciei animae ad contemplationem caelestium; istae enim sunt reliquiae peccatorum, in quibus homo est, etiam postquam resurgit a peccato per vitam gratiae, remissionem peccatorum. »

8. — Quoniam vero modo peccatoris facies velata sit, Salmeron, *lib. de fide resurrect.*, his verbis optime explicat, dum ait: « Quia peccator nec cognoscit seipsum, nec Deum, nec videt ligamina vitiorum, quibus premittit, nec saxum duri cordis, non audit eum verbum Dei, nec vitae suae satorem sentit. »

9. — At vero dicat aliquis, quia ratione Lazarus oculis clausis extra monumenti ostium exire potuit, ut Christo sese sistat? S. Ambrosius dicit: « Comprehende, si potes, quomodo clausis oculis iter carpat, victus pedibus dirigat; virtute enim divinae praeparationis operante, natura suum non requirebat officium, non iam suo ordini, sed divino nutui serviebat; agebatur prius quam parabatur incessus. » Caeca etenim obedientia sola est, quae vero lumine collustratur; haec sola aures ad audiendum habet, non vero oculus praedita est ad discernendum.

10. — S. Ambrosius, *lib. II de poenit.*, c. vii, dicit, peccatoris faciem, postquam poenitentiam egit, nequaquam occultandam esse, sed secure manifestari posse, « quia jam decorem induit, quia venia donatum est, revelare faciem, aperire vultum jubetur, non habet enim quod erubescat, cui peccatum dimissum est. »

Dixit ergo Jesus: Solvite eum.

11. — S. Bonaventura ait: « Queritur, cum esset evidens miraculum, si deligatus omnino prodisset, quare non sic fecit Dominus? » Respondet autem cum S. Chrysostomo, Christum ipsum a vineulis exsolvi et in eum statum, quo libere progredi posset, constitui voluisse, ut hoc modo ostenderet, non esse phantasma aliquod,

prout alias maligni facile calumniari potuissent, Salmeron quoque causam declarat, cur miraculum hoc non simul eodem tempore fascias illas reperit et solverit: « Quia solutio non erat opus super naturam, ideo his qui presentes aderant, illum dimisit, ut intelligamus, ibi tantum præstolandum divinam potentiam, ubi humana defuerit industria. » S. Ambrosius vero aliam quamdam insinuat rationem mysticam, nimirum: « Ut ista fides infunderetur infidelibus, ut per gradus quosdam credulitatis nasceretur. »

12. — Ex communi sacrorum interpretum expositione verba illa intelliguntur de solutione vinculorum peccati. S. Thomas ait: « Ut autem solvantur peccata ejus, ministris mandatur ut solvant eum et sinant abire; nam quem Christus per seipsum interius vivificat, discipuli solvant, quia ministerio sacerdotum vivificati absoluntur. » Albertus Magnus super hæc verba scribens, præceptum hoc Lazarum solvendi ad Apostolicos immediate directam esse dicit: « Discipulis suis, quibus in Petro dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* » S. Cyrillus Alexandrinus inquit: « Si enim mens nostra tanquam Lazarus mortua sit, oportet cum confessione molem carnis materiam et venerabilem animam tanquam Martham et Mariam accedere ad Christum et deprecari. Et ille astans impositam memorie tolli jubebit duritiem et calumiam, et clamabit magna Evangelicæ tubæ voce. » Et solvet peccatorum calenas. » S. Augustinus quoque verba illa specificè de absolvi potestate intelligi, dum ait: « Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in caelo. » S. Antonius de Padua ex hoc Christi præcepto, *Solvite*, deducit, nullum peccatorem, quantumvis obstinatus sit et impius, excusare se posse, prætextando, quod ad poenitentiam resurgere non possit: « Excusat se peccator, quod non potest, quia est ligatus: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, sed Dominus præcipit: *Solvite eum*. Gratia quidem solvit interius, dum scilicet de tuis peccatis confiteris sacerdoti: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu propitiaberis peccato meo*; et tunc poteris progredi per bona opera. »

13. — Quod porro Salvalor ad hæc vinculorum solutionem alios adhibere voluerit, ideo hoc ipsum fecit, quia videlicet vincula et funes culpæ solvendi potestatem alios delegare jam decreverat. Unde Salmeron ait: « Opus est ministris solventibus, id est, sacerdotum absolute. Non debent facile absolvere, nisi constet eos egressos de spelunca et de lapide revolutos, consulendo ut prius restituant aliena quæ relinunt et prius parcant inimicis suis, si quid forte offenderunt. »

Et sinite abire.

14. — Toletus Christum jussisse dicit, ut discipuli Lazarum abire sinerent, ut ab omnibus circumstantibus alisque Bethaniam incolentibus videretur, ut tanto evidentius fieret miraculum, magisque manifestaretur: « Commodior enim singulis dabatur occasio videndi, si non in uno loco staret et vero vitæ receptæ, ipse incessus majus et illustris erat argumentum. Omnia enim hæc facta sunt, ut omnis calumnia et falsa suspicio tolleretur. »

15. — Lucas existimat, quod Lazarus premissa prius Christi devota adoratione Christi jussis perfecte obediens in viam se protinus receperit: « Relinquit intelligendam, Evangelista videlicet, quod solutus vinculis abierit a sepulchro amictus syndone super nudo, spectantibus presentibus omnibus et præ lætitia ac gaudio, reique magnitudine stupefactis; et primum quidem Jesum autorem vitæ sibi restituta recognoscens, proliquis adoraverit. »

16. — Chrysostomus, *Hom. lxxii in Joan.*, hæc a Christo Apostolis datam commissionem, qua ut ipsum abire sinerent jubebantur, summæ Christi humilitati et modestiæ attribuendum esse scribit: « Intuere quod nullam gloriam expectat, non ducit eum, non jubet eum secum esse, ut rem ostendat facto miraculo. »

17. — Ex quo sepulchrum locum denotat peccati, et præcipue illius, quod jam habitatum et in consuetudinem versum est, merito Christus resuscitatum a sepulchro exire et abire jubet, quia ad hoc ut anima aliqua in peccatis habitata, in peccati recidivam denuo non relabatur, opus est, ut a loco, personis et conversationibus, quæ antea lapsus occasionem ministrarunt, procul recedat. Quando S. Petrus a peccato et scandalo suo resipuit, dicit Evangelista quod *flevit amare*; sed ubi? *Egressus foras*. Sed dices fortassis, ex quo Petrus Magistram suam in alio et in conspectu totius aulae pontificiæ et ancillæ illius negaverat, numquid justum et decens quoque erat, ut similiter in presentia omnium illorum poenitentiam ageret, suamque vitæ emendationem exhiberet? Minime gentium, ex quo enim sanctissimus hic Apostolorum princeps omnibus Ecclesiæ fidelibus velut insigne poenitentiae speculum proponendus erat, Deus nos in ipsius exemplo scire voluit, hæc nunquam, vel saltem rarissime, veram et stabilem esse posse, quamdiu in iisdem locis, cumque iisdem personis perseveranter commoramur, eum quibus hæcenus per longam et diuturnam consuetudinem prævaricati fuimus: « Quia, » ut Lyranus optime dicit, « peccator debet esse elongatus, non solum a peccato, sed etiam ab occasionibus ejus. » Pharaon rex Egypti desiderium filiorum Israel Deo suo sacrificare volens,

finem precibus libenter quidem acquiescebat, dummodo ab Egypto non recederent, sed coram oculis suis sacrificia sua peragerent, in quod tamen Pharaonis responsus Moyses a Deo illuminatus, consentire minime consentaneum esse duxit, sed in sua petitione constanter perseveravit, ut scilicet *omnis ciam trium dierum in solitudine, ut sacrificienus Deo nostro*. Ubi Oleaster ait: « Neque fas est ei, qui Deo vult sacrificare, recedere a malis, nisi ab eis se curet elongari via trium dierum. »

18. — Salmeron ait: « Simile abire per opera orationis, jejunii, elemosynæ et per novitatem vitæ a sepulchro recedendo; de qua est illud, *Galat.*, v, 25: *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulamus.* »

VERSUS 45.

Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.

1. — Illic igitur fuit fructus miraculi inter spectatores presentes, postea vero et ad alios « multos fructus dimanavit, » inquit Lucas Bruggensis. Et quidem, ut Toletus notat, merito hoc adeo prodigiosum miraculum ad finem usque prædicationis reservavit, ut Judæorum convinceret et condemnaret incredulitatem; adducitque experti alieujus Medici similitudinem dicens: « Nam sicut medicus potentiora medicamenta in principio morbi non adhibet, sed quo magis is ingravescit, eo efficacioribus utitur remediis, ita Christus, » etc. Dum enim paulo post mortis condemnandus

esset, unicuique manifestum esse voluit, quod huic mortui subijci ab ipsis non posset, utpote qui ipsis tanquam Dominus et Patronus præsesset, ideoque scire illos voluit, quod *oblatus est, quia ipse voluit.*

2. — Res summa admiratione digna est, quod homines in Christum crediderint, magnaque erga eum devotione affecti fuerint, ex eo quod mortuam ad vitam per ipsum revocatum esse viderint, nec tamen ullus hominum, aut valde pauci, ad miracula continua se rellectant, quæ operatur quotidie, dum ad gratiæ vitam, quæ longe est excellentior, tot homines quotidie resuscitat: « Omnis qui peccat, » moritur, » inquit S. Augustinus, *tract. xlii in Joan.*, « sed mortem omnis homo timet, mortem animæ pauci, pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes, ne veniat, inde est, quod laborant; laborant ne moriantur homo moriturus, et non laborant, ne peccet homo in æternam victurus. »

3. — Theophylactus magnam inter Judæos observat differentiam; siquidem S. Joannes expresse dicit: *Multi ex Judæis*; non vero dicit, omnes: « Spectantium alii quidem crediderunt, alii autem annuntiaverunt Phariseis, calumniantes nimirum, ut profanam rem, quia ausus fuerat impedire, rare, ut effodiatur sepultus. » Horum primi simul cum Lazaro resuscitati fuere, sed spiritualiter; alii vero in sepulchro aut monumento suo magis magisque computruerunt, id est, in sepulchro duritie et obstinationis ipsorum: « Ut vel hinc agnoscas fidem esse Dei donum, » inquit Salmeron, « et vere Abraham dixisse: *Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* »

DOMINICA PASSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VIII, VERS. 46

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.
 48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?
 49. Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.
 50. Ego autem non quero gloriam meam; est qui quaerat et judicet.
 51. Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.
 52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus, quia dæmonium habes; Abraham mortuus est, et Propheta, et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.
 53. Numquid tu major es Patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Propheta mortui sum? Quem te ipsum facis?